

De sententia Herennii Pontii

Is ubi accepit ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausum esse exercitum Romanum, consultus ab nuntio filii censuit omnes inde quam primum inviolatos dimittendos. Quae ubi spreta sententia est, censuit omnes interficiendos. Postremo vocatus in consilium ita ferme locutus est, ut nihil sententiae suae mutaret, causas tantum adiceret: se priore consilio – quod optimum duceret – cum potentissimo populo per ingentissimum beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamque; altero consilio in multas aetates¹ – quia, amissis duobus exercitibus, haud facile receptura vires Romana res esset – bellum differre; tertium nullum consilium esse. Cum filius aliique principes percontando exsequerentur quid fieret si media via consilii caperetur, ut et dimitterentur incolumes et iure belli iis victis leges imponderentur, «ista quidem sententia» inquit «ea est, quae neque amicos parat nec inimicos tollit. Servate quos ignominia inritare vultis; ea est Romana gens, quae victa quiescere nesciat. Vivet semper in pectoribus illorum quidquid istuc praesens necessitas iniusserit neque eos ante multiplices² poenas expetitas a vobis quiescere sinet». Neutrā sententiā acceptā Herennius domum e castris est avectus.

da Livio

(Ivana Milani)

¹ Aetas, atis = “generazione”

² Multiplex, cis = “molteplice”